

LXII DE SEQVESTRAT. DEFINIT. §. XIII.

Dicunt autem plerumque doctores, sequestrationi hoc proprium esse, ut id, quod sequestretur, sit res litigiosa. Quod quidem minus recte fieri puto. Neque opus erit, ad hanc rem commonstrandam, multa disputatione. Litigiosam enim eam rem dici, de cuius dominio lis pendet, satis certum est^{b)}. Iam vero constat, sequestrari quid posse, licet de eius dominio controversia plane non sit. Ita sequestrari liberos homines posse, supra diximus (§. VII.), quum tamen liberum hominem in dominio esse, ne cogitari quidem possit. Vedit hoc procul dubio IOANNES GOTTFRIED SCHAVMBVRG^{c)}, qui in sequestratione non requirit, ut res litigiosa sit, sed eidem locum esse dicit, *si, suborta de re lite, praesens ex mora periculum alter litigantium sibi metuat*. Quibus verbis expressit quoque quodammodo, qui alias curari non solet, ipsum sequestrationis finem, et id, ad quod tendit sequestratio. Sed iis ipsis tamen plus, quam fieri debebat, requirere vir doctus videtur. Nam ne id ipsum quidem requiritur, ut de ea re, quae sequestratur, lis sit inter partes. Fieri enim omnino potest, ut de hac re plane non contendatur, sed de alia quadam. Cuius rei si quaeris exemplum, inuenies in libris nostris^{d)}. Quid? quod quaeri potest: an id ipsum necessarium sit in omni sequestratione, ut plures inter se contendant. Certe occurrit aliqua species in libris nostris ab VLPIANO in memora-

Partit. c. 12. f. 41. vbi, Non dubium est id quidem, inquit, quin definitio genere declaretur, et proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus, proprium quid sit, eluceat.

b) Ipse Imperator ita definit Nov. 112.

c. 1. ex qua definitio haec translata est in Auth. litigiosa res. C. de lito giosis. c) in Compend. iur. Digest. Tit. depositi 5. 4. lit. b. d) c. si fideiussor 7. 5. ult. D. Qui satis dare cog.